tur illius princeps, & velut parens. *Cicero l,1. & 3. de Orato-* A *re.* Dignitas, inquit, eloquentiæ vel ex eo intelligi poteſt, quod in omni libero populo, maximèque in pacatis tranquilliſque civitatibus, præcipuè ſemper floruit: ſemperque dominata eſt. Quid enim aut tam jucundum cognitu, aut auditu, quàm ſapientibus ſententiis, gravibuſque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quàm hominum animos unius oratione converti? Quid admirabilius quàm res ſplendore illuſtrata verborum? Oratoris eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia: ejuſdem & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio. Eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius? quis à vitiis acrius revocare? quis vituperare improbos aſperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? quis mœrorem levare mitius conſolando? Ac ne plura, quæ ſunt penè innumerabilia, dicantur, brevi ſtatuendum eſt, perfecti Oratoris moderatione, & ſapientia non ſolùm ipſius dignitatem, ſed & privatorum plurimorum, & univerſæ Reipublicæ ſalutem maximè contineri.

Apophthegmata.

B Diogenes prandens in caupona, Demoſthenem fortè prætereuntem invitavit, ut accederet: id cum ille pudore recuſaret? Erubeſcis, inquit, Demoſthenes cauponam ingredi? Atqui hic herus tuus quotidie verſatur. Innuit autem, Rhetores nihil aliud eſſe quàm populi mancipia, nec eſſe par, ut illic pudeat ſervum populi videri, ubi populus aſſiduè viveret. *Eraſ. l.8. Apoph.*

Demosthenes interrogatus, quid præſtare poſſet poſſeſſoribus ſuis Rhetorica? Homini, inquit, perdito præſentem poteſt ferre opem. *Stob.*

Isocrates ſciſcitatus quid eſſet Rhetorica? Ex parvis, inquit, facere magna, ex magnis parva: Eſt enim hæc nonnulla Rhetorices pars amplificare, & extenuare, qua de re diligenter præcipit Fabius. Sed præſtigii genus eſt, quod reſpondit Iſocrates. Quin illud potius artis eſt, quæ magna ſunt ita tractare, ut auditori quoque magna videntur: & contra *Eraſ. l.8. apoph.*

Cuidam jactanti ſe de arte Rhetorica, At per Geminos, inquit Lacon, ars, niſi verum attigerit, nec eſt, nec unquam erit. Notavit Rhetores, qui ſe profitentur veriſimilia dicere, licèt C vera non ſint. *Plut. in Lacon.*

ELOQUENTES RHETORICÆ PERITI
In Genere.

Mercurium Jovis, & Majæ filium Ἑρμῆν appellarunt Græci, quòd τῆς ἑρμηνείας, hoc eſt, interpretationis, quæ voce fit, auctor eſſet. Nuncius igitur deorum fingitur: quoniam ſermo divinæ illius particulæ; quæ in nobis eſt, mentis ſcilicet, index exiſtit. Caput alato petaſo, pedes talaribus munit. Dextra caduceum gerit. Lateri harpax accingitur. Eloquentiæ præſidio omnes homines indigent, tum in vita theorica (cujus ſymbolum eſt caput petaſo tectum) tum in vita practica. Hæc duplex. Occupatur enim, vel ἐν ποιήσει, quam pedes talaribus inſignes denotant: vel ἐν πράξει, quæ media eſt inter Theoricam, & Mechanicam vitam. Πρᾶξις ipſa πολιτική, omne genus virtutum complectitur, & vitiorum. Ad virtutis autem exercitationem alii honeſtate ipſa, alii metu, & formidine incitantur. Honeſtatem caduceus ſignificat, cui gemini angues implicati ſunt: quandoquidem prudentia virtutes omnes moderatur. Metum, & formidinem harpax denotat, lateri accinctus. Caduceo mortuos ducit, D atque reducit: hoc eſt, inſontes liberat, ſontes damnat. Somnos infert, & adimit, populum modò ad pacem, modò ad bella incitat.

Galli non Mercurio, ſed Herculi: quem ſua lingua Ogmium vocant, eloquentiæ laudem tribuunt. Simulacrum illius tale eſt. Senex calvus in occipitio, cætera canus: cute rugoſa & exuſta, leonis exuvio indutus, clavam dextra, arcum læva tenens, pharetra de humero ſuſpenſa. Ex ore catenulæ tenuiſſimæ linguæ extremo apici annexæ prodeunt, auro, electroque puriores, quibus hominum magnam turbam auribus ſummis ſuſpenſam, ad ſe alacrem, neque reluctantem omnino pertrahit. Scitè admodum eloquentiæ naturam hac pictura Galli expreſſerunt. Senex eſt, quoniam dicendi facultas non niſi matura ætate abſolvitur: Armis variis inſtructus eſt, ut nolentes, & reluctantes vi argumentorum, tanquam è pharetra depromptorum, cogere poſſit. Accedit deinde oratoria ſuavitas, qua homines ex auribus religatos detinet. Herculem itaque Galli non tam corporis viribus, quàm eloquentia, & eruditione tot monſtra confeciſſe, hoc eſt, arrogantiſſimos ſophiſtas, ſuperaſſe arbitratur. *Lucianus in Ἡρακλεῖ.* E

Homerus Neſtorem ſenem, eloquentiæ, & prudentiæ laudibus celebrat: τῶ καὶ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Æthalides, præco inſignis, propter eloquentiam, Mercurii filius creditus. *Val. Flaccus primo Argonaut.*

Eloquentia non apud quoſvis Græcorum cœpit, ſed apud Athenienſes, non naſcentibus, ſed jam adultis Athenis. Ante Periclem, & Thucydidem litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe videatur. Periclem Xanthippi filium Anaxagoras philoſophus erudiit: ejus ſuavitate maximè hilaratæ ſunt Athenæ, ejus ubertatem, & copiam admiratæ, ejuſdem vim dicendi, terroremque timuerunt. Hæc igitur ætas prima, Athenis oratorem propè perfectum tulit: His ducibus eloquentia excoli cœpit, & magiſtri dicendi multi ſubitò extiterunt; Gorgias Leontinus, Thraſymachus Chalcedonicus, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Elæus, Iſocrates tamen omnes vicit, & Liſias, quem jam propè audeas oratorem perfectum dicere. Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facilè dixeris. Huic Hyperides proximus, & Æſchines fuit, & Lycurgus, & Dinarchus, & cujus nulla ſcripta extant, F Demades. Hæc enim ætas effudit hanc copiam: & ſuccus ille, & ſanguis incorruptus uſque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis ineſſet, non fucatus nitor. *Cic. in Bruto.*

Demetrius Phalereus ſucceſſit his ſenibus adoleſcens, erudititiſſimus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palæſtra; itaque delectabat magis Athenienſes, quàm inflammabat, ut qui non è militari tabernaculo, ſed Theophraſti philoſophi umbraculis in ſolem, & pulverem proceſſiſſet. Primus igitur inflexit orationem, & eam mollem, teneramque reddidit. *Cic. in Bruto.*

Poſteà ut ſemel è Pireæo eloquentia evecta eſt, omnes peragravit inſulas: atque ita peregrinata tota Aſia eſt, ut ſe externis oblineret moribus, omnemque illam ſalubritatem Atticæ dictionis, quaſi ſanitatem perderet, loqui penè dediſceret. Hinc Aſiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia: ſed parum preſſi, & nimis redundantes. Rhodii ſaniores, & Atticorum ſimiliores. *Ibidem.*

Apud Romanos diù exulavit eloquentia. Primus M. Cor- G nelius Cethegus (qui bello ſecundo Punico conſul fuit cum P. Tuditano, 140. annis ante Ciceronem conſulem) eloquens fuiſſe ſcribitur, cujus eloquentiæ eſt auctor Q. Ennius. Hunc, Florem delibutum populi, Suadæque medullam homines vocabant. *Ibidem.*

M. Cato Cenſorius annis novem poſt Cethegum conſul fuit, cùm aliis, tum eloquentiæ laudibus inſignis: quem Cicero Lyſiæ conferre non dubitat. Romanus Demoſthenes à quibuſdam dictus eſt: teſte *Cæl. l,25. c.3.* Cùm hoc Catone grandiores natu fuerunt, C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus Q. Metellus, P. Lentulus, P. Craſſus, Sex. Ælius. De minoribus autem C. Sulpitius Gallus, Tib. Gracchus P. F. P. Scipio Naſica, Annius Luſcus, L. Paulus, qui Africanum adoptavit, eloquentes habiti ſunt.

C. Lælius, & P. Scipio Africanus in primis eloquentes fuerunt. Sed paululùm his ætate antecedens Ser. Galba eloquentia præſtitit, & princeps ex Latinis, illa oratorum propria tractavit, ut ornandi cauſa digrederetur à propoſito, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeret rem, ut miſerationibus, ut locis communibus uteretur. H Dicendi laus eſt in Lælio illuſtrior quàm in Africano: verbis priſcis libenter utitur. Elegantia in Lælio, vis dicendi in Galba fuit. Hanc ob cauſam Lelii orationes laudantur, quoniam mens etiam in ſcriptis ſpirare videtur: Galbæ interciderunt, quoniam omnis illa vis, & quaſi flamma orationis, qua ille in agendo utebatur, in ſcriptione ipſa fuit extincta. *Ibidem.*

M. Æmilius Lepidus, Porcina dictus, paulò minor natu Galba, ſummus orator fuit habitus. In quo primum lenitas illa Græcorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex ſtylus apparuit.

Ejus auditores fuere C. Carbo, & Tib. Gracchus: quibus, ſi talis mens ad Remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profectò nemo his viris gloria præſtitiſſet. Gracchus diligentia matris Corneliæ à puero edoctus & Græcis litretis eruditus fuit: nam ſemper habuit exquiſitos è Græcia magiſtros, & in eis jam adoleſcens Diophanem Mitylenæum,

lenæum, Græciæ temporibus illis diſertiſſimum. Carbo in A multis judiciis, cauſiſque fuit cognitus: canorus orator, volubilis, ſatis acris, vehemens, valde dulcis, perfacetus, induſtrius, & diligens, & in exercitationibus, commentationibuſque multùm operæ ſolitus ponere. Hic optimus illis temporibus eſt patronus habitus: eoque forum tenente, plura fieri judicia cœperant. Nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ anteà nullæ fuerunt: & judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum deſiderabant, tabella data. *Ibidem.*

C. Curio illuſtris orator fuit, Item C. Gracchus, cujus immaturo interitu res Romanæ, Latinæque literæ damnum fecerunt. Qui, ſi vixiſſet, eloquentia parem habuiſſet neminem.

C. Galba, Servii filius, P. Craſſi, eloquentis, & juriſperiti gener, in medio curſu cecidit, & oppreſſus eſt publico judicio condemnatus.

Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro (inquit Cicero) eruditus, incorrupta quædam Latini ſermonis integritas. Cauſas egit. *Cic. in Bruto.*

B M. Antonius, & L. Craſſus ſummi, perfectique oratores fuerunt, ut utrum alteri præferas ignores. 34. annis ante natum Ciceronem. Et videtur ſanè Cicero hæc tempora conferre cum Periclis, & Thucydidis ætate, quam maxima oratorum copia ſubſecuta eſt. Demoſthenes tamen omnium princeps fuit apud Græcos, apud Latinos Cicero. Apertè quidem hoc non profitetur: ſed Antonium, & Craſſum laudando, ſimul etiam, quæ illis defuerint, indicat, eaque ſibi ineſſe, quamvis obſcurè, affirmat. L. Craſſus eloquentium juris peritiſſimus, Q. Scævola juriſperitorum eloquentiſſimus putabatur. Et Ser. quidem Sulpitium Scævolæ; Seipſum verò Craſſo confert. Rurſus Sulpitium Craſſi, Cottam verò Antonii imitatorem fuiſſe ait. Idem, Libris de Oratore mortem Craſſi deplorans, omnes illum ſemper eloquentia; paucis verò ante obitum diebus, ſeſe etiam viciſſe commemorat. Certatim quoque eloquentiæ ſtudioſi, ad eum locum, quem noviſſimè pedibus ille calcaverat, poſt ipſius mortem redierunt: capti dulcedine, ac recordatione ſermonis, quem, ex eo nuper audierant, & velut iterùm audituri. Addit etiam id uni Craſſo C ſingulariter contigiſſe, ut quoties peroraret, toties ſolito altiùs, ac ſine exemplo locutus videretur. De eo ſic Cicero. Craſſo dicente, nemo tam arrogans fuit, qui ſimiliter ſe unquam dicturum eſſe confideret, & iterùm: Omnibus auditis orationibus, ſine ulla dubitatione ſic ſtatuo, & judico, neminem omnium tot, & tanta, quanta ſint in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi.

Duobus ſummis Craſſo, & Antonio L. Philippus proximus accedebat, longo tamen intervallo. *Cic. in Bruto.*

Q. Varius rebus inveniendis, & verbis expeditus, fortis actor, & vehemens, verbis nec inops, nec abjectus.

Cn. Pompejus, vir ad omnia ſumma natus, majorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplus; rem prudenter videbat: actio verò ejus habebat & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. *Idem.*

C. Pisone genero ſuo neminem ſe nec ſtudio, nec induſtria majorem cognoviſſe. *Cicero teſtatur ibidem.*

Q. Hortensii, ut ſummi oratoris laudes multis verbis perſequitur Cicero in Bruto, eumq; ſe magno ſtudio imitatum eſ- D ſe affirmat: ſuperaſſe, ex ipſius verbis ſubintelligi poteſt. *Idem.*

C. Jul. Cæſaris eloquentiam magnis laudibus Cicero extollit, & omnium ferè oratorum Latinè loqui elegantiſſimè, idque non domeſtica modò conſuetudine, ſed etiam literis multis, & magno ſtudio conſecutum aſſerit. *Idem.*

Asinius Pollio, Auguſto familiaris, cum Cicerone de eloquentiæ primatu contendere fuit auſus.

C. Licinius Calvus Ciceronis æmulus, tanta vi Vatinium accuſaſſe dicitur, ut Vatinius exurgens exclamarit: Rogo vos judices, num quia hic diſertus, ego condemnabor? Ex hac inimicitia Odium Vatinium in proverbium abiit.

Omnium eloquentiſſimus extra urbem fuit T. Betutius Barrus Aſculanus, cujus ſunt aliquot orationes Aſculi habitæ, & illa Romæ contra Cæpionem: cui orationi, Cæpionis ore reſpondit Ælius.

Apud majores diſertiſſimus habitus fuit ex Latio L. Papyrius Fregellanus, Tib. Gracchi ferè ætate.

Cassius Severus orator eloquentiſſimus in agendo, in declamationibus parùm valens. Oratio ejus valde culta, ingentibus plena ſententiis: nemo minus paſſus eſt aliquid in oratione ſua otioſum eſſe: nulla pars erat, quæ non ſua virtute ſtaret. Nihil in quo auditor non ſine damno aliud ageret. Omnia nitentia, & intenta aliquo, aliquid petentia. *Seneca* E *in Declam. Tacitus in lib. de claris oratoribus.* Hunc Quintilianus ponit inter oratorum principes.

Numerianus Cæſar, Cari Imp. filius, cùm aliquando orationem ad Senatum miſiſſet, tantùm eloquentiæ in ea poſuiſſe fertur, ut illi ſtatua à Senatu, quaſi rhetori, in Ulpia bibliotheca decerneretur, hac inſcriptione: Numeriano Cæſari oratori temporibus ſuis potentiſſimo. *Gyraldus Dial. 5. hiſt. Poet.*

Alexander IV. Pont. Max. eloquentia vix ſimilem ſuo tempore habuit. Nemo erat, qui rem cautiùs proponeret, aut acriùs defenderet: ſeu, quovis cuperet, impelleret. Seſe unum omnium animis accommodabat, cùm jucundis de remiſſione, cum ſeveris de diſciplina, cum paribus de Republ. doctiſſimè ſemper, & mira quadam facundia loquebatur. *Volaterranus lib. 22. Anthrop.*

Christophorus Longolius eloquentiam ſuam ad Ciceronis imitationem, ſuaſu Petri Bembi, compoſuit. *Auct. vitæ.*

QUI IN UNA ALIQUA PARTE rhetorices vel excelluerunt, vel impegerunt. F

Exempla plurima ex Ciceronis Oratore, & Bruto colligere poterit, cui otium erit hæc tractandi. Nobis ſatis eſt digitum ad fontem intendiſſe, & Titulos deſcripſiſſe.

INVENTIO.

☞ *Inventio πίστεων, ſecundùm Ariſtotelem triplex eſt. Quædam ex re ipſa ſumuntur.* λογικαί: *quædam à perſonis, tum auditoris, &* παθητικαὶ *dicuntur: tum oratoris, & vocantur* ἠθικαί. *Et ut logicæ ſunt internæ, ita patheticæ ferè externæ, in oculos hominum incurrentes: eaque propter ad actionem referuntur à nonnullis. Eas tamen nos ſuo potiùs quàm alieno loco, tractare voluimus: quando Prudentiæ oratoris non parum atteſtantur.*

APTA, INGENIOSA. G
In genere.

Si Theopraſto credimus, viro præ cæteris philoſophis multæ inquiſitionis, & lectionis, inveniendi ea, quæ cauſæ conferrent, atque excogitandi, omnium fuit Alcibiades acerrimus. Cùm verò inveſtigaret non tantùm, quæ dicendæ eſſent, ſed & quibus quæque nominibus, & verbis, atque eum illa ſubinde præterirent: offendebat, & inter dicendum obmuteſcebat, interquieſcebatque fugiente ipſum dictione, excutiens memoriam, & rem reputans. *Plut. in Alcibiade.*

C. Macer cauſarum patronus, in inveniendis, componendiſque rebus mirè accuratus fuit, ut non facilè ullum diligentiorem, majoremque Cicero cognoverit: ita tamen, ut citiùs veterator, quàm orator dici potuerit: vox, geſtus, & omnis actio ſine lepore. *Cicero in Bruto.*

Serv. Sulpitius I. C. arte omnes vincebat, cùm Juriſprudentia multos pares haberet. Cicero certè in Bruto eum Q. Scævolæ præfert, ob artem ſolam: quoniam Juriſprudentiæ Dialecticam conjunxiſſet, ſimul & loquendi elegantiam.

M. Tul. Cicero de ſe ſimul, atque M. Bruto gloriatur, quòd ex veteris Academiæ præceptis vim iſtam, & copiam argu- H mentorum hauſerint. *Cicero in Bruto.*

In ſpecie.

Ob Aſtynomen Chryſis ſacerdotis Sminthii filiam, patri ab Agamemnone non redditam, Græci Trojam obſidentes, maxima affligebantur peſtilentia. Calchas augur, reddita Cryſeide, finem mali futurum aſſerebat. Negabat ſeriò Agamemnon. Achilles commotus rei indignatione, ſimul pernicie defeſſi exercitus anxius, defunctorum corpora miſerandum in modum confecta, undique in conventu ante ora omnium proiici fecit. Quo ſpectaculo adeò commoti reges, genteſque omnes, uti adverſus Agamemnonem pergerent, duce, atque auctore Achille, ut vel nolens reddere cogeretur. *Dictis lib. 2.*

Athenis interdicebat præco dicturis in concione, ne vel præfatione, vel affectibus uterentur, rem modò exponerent, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, abſque procœmiis, & affectibus: aliquot locis indicat. *Lucianus.*

Heraclitum philoſophum Epheſium rogarant cives, uti ſententiam ſuam proferret de Concordia. Inſcendens ille eminen-

eminentiorem locum, aquæ frigidæ calicem ſibi protinus af- A ferri juſſit; in quem ubi farinæ aliquantulum inſperſiſſet, miſcere Glichonis herbæ pulverem cœpit, moxque hauriens, ne verbo quidem facto, inde ſe proripuit: prudentibus intelligendum relinquens, ſi vilioribus, ac obviis acquieſcerent, nec ſumptus affectarent immodicos, pacem habituros inter ſe, atque concordiam. *Cælius lib.13.cap.5. A.L.*

Moris erat Athenis, ut, qui capitis accuſati eſſent, ad commovendam judicum miſericordiam, uxores quoque, & liberos ſuos in judicium producerent. Demoſthenes, cùm ex concubina liberos ſuſcepiſſet, in actione, quam de Aureo habuit, filios quidem in conſpectum judicum produxit, ad captandam miſericordiam: matrem non produxit, ne impudentiæ ſuſpicione, indignationem populi incurreret. *Athenæus lib.13. cap.23.*

Cùm vetarent Demoſtheni aliquando Athenienſes in concione verba facere: pauca habere ait ſe, quæ ipſis referret. Quibus conticeſcentibus: Adoleſcens, infit, ſub æſtatis tempus, aſinum Athenis Megaram conduxit. Flagrante meridie Sole, uterque eorum aſini umbra quærebat B ſe tegere, repellebatque alter alterum: atque hic locaſſe prætendebat ſe aſinum, non ejus umbram: qui eum conduxerat, omnem ejus uſum ſuum eſſe. Quæ poſtquam narravit; recedebat. Retinentibus eum Athenienſibus, atque ut abſolveret ſermonem, rogantibus: Itane verò de aſimi umbra, inquit, vultis audire dicentem, de rebus ſeriis non vultis? *Plut. in vita Demoſth.*

Phryne Theſpia meretrice capitis damnata, cùm Hyperides pro ea orans, nihil ſe proficere intelligeret, veſtes illius laceravit, pectuſque nudum oſtendens, judices ad miſericordiam inflexit. Subinde lex lata eſt; ne quiſquam reum aſpiciens judicaret. *Athenæus lib.13.cap.22.* At *Plutarchus* Decephrynen meretricem legit, *in vita Hyperidis*.

Leo Byzantius, auditor Platonis, & ſophiſta nobilis; Philippo contra Byzantium venienti occurrens: Dic age, inquit, Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, qua uti potiar, veni. Leo excipiens: Atqui, reſpondit, non inſtrumento Bellico, ſed Muſico, amantibus eſt opus. Quo dicto du- C cem à bello Byzantino avertit: cùm Demoſthenes multa ſuper hoc apud Athenienſes, Leo verò pauca apud Philippum verba feciſſet. *Philoſtratus.*

M. Menenii Agrippæ Apologus de corporis humani abdomine, cæteriſque membris, quo populum Romanum Senatui reconciliavit, à Plutarcho in Coriolano, & à Livio pulchrè deſcribitur.

M. Manlius, à Q. Capitolino affectatæ tyrannidis accuſatus, cùm lacrymans Capitolium oſtenderet, quod à Gallorum armis nuper defenderat: adeò recentis beneficii memoria populum movit, ut quamvis reum damnare non potuerit, niſi poſteàquam cauſæ actio aliò traducta fuit, unde aſpici Capitolium non poſſet. *Fulg. lib. 8. cap.10.*

Cato Cenſorius, ut S. P. Q. R. ad ſuſcipiendum tertium Punicum bellum moveret, plus oſtenſa ficu profecit, quàm antè Hiſpaniarum, Saguntique, item Trebiæ, Thraſimeni, ac Cannarum commemoratæ clades fecerant; Metuens enim, ne iterùm urbi Romæ Carthago exitium moliretur, in Senatu ficum recenter ab arbore decerptam oſtendit, & à Senatu petiit, Qua die ab arbore decerptam putarent. Cùm omnes, Recenter decerptam, dicerent: affirmavit, Nondum ter- D tium exceſſiſſe diem, cum in arbore Carthagine penderet. Et vos tridui itinere remotos hoſtes infenſiſſimos patiemini? Suſcepto igitur tertio bello Punico, Carthago everſa eſt. *Plut. in ejus vita.*

Cùm L. Paulo Æmilio de Perſeo rege triumphaturo milites, Capitolio obſeſſo, triumphum denegaſſent, Sergio Galba Tribuno militum inſtigante: ægrè ferentes prædam regiam viritim non fuiſſe à Conſule diviſam: M. Servilius vir conſularis, qui tres & viginti hoſtes ex provocatione interemerat, conſcenſo ſuggeſtu, militarem reprehendit audaciam, populique erga virum de Republ. optimè meritum ingratitudinem. Simul ſe nudavit, oſtenditque infinitas cicatrices adverſo corpore exceptas. Inde converſus adaperuit quædam, quæ ad populum velanda erant: atque ad Sergium Galbam reſpiciens: Tu quidem hæc, inquit, derides: ego verò apud cives glorior iis, quæ pro his, in equo dies, nocteſque perſequendo accepi. Sed age, voca hos ad ſuffragium: ego omnes aſſectabor, notaboque improbos, & ingratos, eoſque, qui ſibi in bello obſecutum magis, quàm imperatum volunt. Adeò perhibent hac oratione repreſſam, & immutatam militarem turbam, ut omnes Tribus ſciſcerent Paulo triumphum. *Plutarchus in Æmilio.*

Cæſaris funere in forum delato, laudavit eum de more M. E Antonius. Qui cùm moveri oratione ſua cerneret populum, flexit ad commiſerationem, correptamque Cæſaris veſtem cruore oppletam explicavit, & ut dilacerata eſſet vulnerum multitudine, oſtendit. Ibi videres nihil jam geri compoſitè: ſed alii interficiendos homicidas vociferabantur, pars, ut Clodio plebis concitatori factum fuerat antè: ſubſellia, & menſas ex officinis corripientes, & coacervantes, grandem pyram ſuccenderunt, impoſitumque in rogum cadaver, in medio frequentium locorum ſacrorum, frequentium etiam inviolatorum, atque intactorum combuſſere. Ut flamma eluxit, accurrentes alii aliunde, & titiones arripientes ſemiuſtos, ad tecta diſcurrerunt interfectorum Cæſaris inflammanda. Verùm illi obſepti antè, periculum propulſaverunt. *Plut. in Bruto, & Cicerone.*

Scorius Dacarum dux, cum diſſidentibus inter ſe Romanis, Dacas à bello Romanis inferendo, quamvis inter ſe diſſidentibus dehortari vellet, in conſilium duos feroces canes adduci juſſit. Qui ut ſoluti fuerunt, ſtatim tanquam inter ſe commiſſi, mordicus certare cœperunt. Non multò poſt, lupum quoque adduci curavit. Quo conſpecto, nihil mo- F rati canes, omiſſo prælio, concordes ambo lupum petierunt. Ab ea contentione Scorius ſermonem orſus, oſtendit, nihil eſſe quod facilius Romanorum dirimere contentiones poſſet, quàm ſi ſe Dacarum bello peti ſenſiſſent. Contrà autem fieri poſſe, ſi nullis externis armis impeterentur, ut inter ſe civilibus armis conſumerentur. Ea oratione Dacæ permoti, Scorii conſilium ſequi decreverunt. *Fulg. lib.8. cap.10.*

Domitius Afer, mortis periculo proximus, mirabiliter evaſit. Nam cùm Cajus Caligula in curia longam contra eum orationem recitaret (omnes enim oratores ſe vincere putabat, & Domitium virum eloquentiſſimum ſuperare conabatur) neque quicquam contrà dixit, neque ſe defendit, ſed eloquentiam hominis ſe mirari, eaque obtupeſcere ſimulans, orabat, & ſupplicabat: ſeque oratorem magis timere, quam Cæſarem, profitebatur. Quibus rebus Caligula delectatus, & Domitium à ſe dicendi vi ſuperatum credens, iraſci deſiit. *Zonaras.*

Seditionem Romæ inter plebem, ac milites excitatam, in G qua permultum ſanguinis effuſum eſt, ſenior Pupienus Imperator, non oratione, non imperii majeſtate frænare potuit: quin ſaxis quoque ipſemet petitus ſit. Quamprimùm autem infantulum Gordianum ſeditioſis oſtendit, virtutem, meritaque, ac mortem avi, & patris, ſupplex populo, ac militibus commemorans, omnes ſtatim arma abjecerunt. *Idem.*

Gregorius IX. Pp. cùm pop. Rom. inclinare ad Fridericum II. Imp. cerneret, Apoſtolorum Petri, & Pauli capita cepit, & lachrymabili voce Sanctorum reliquias populo commendans, ita omnium animos immutavit, ut qui ante rebelles, atque hoſtes erant, contra Fridericum arma caperent. *Fulgoſ. lib. 8. cap. 10. & Egnat. lib. 8. cap. 10.*

Franciscus Marcheſius Jureconſultus, à Genuenſibus ad Galeatium Mediolanenſem ducem orator miſſus (quem Genuenſes priùs principem ſuum eſſe voluerant, ſalva interim libertate ſua: mox cùm eum de tyrannide cogitare viderent ab eo ſeſe abalienaverant) cùm difficilem ad Galeatium haberet aditum, die qua S Joannis ſacra celebrabantur: Galeatio munus baſilicæ herbæ, vas plenum miſit. Dux Franciſcum ſtatim ad ſe accivit, ut miſſæ herbæ cauſas intelligeret. Franciſcus H omiſſis iis, quæ à Genuenſibus mandata erant, paucis explicavit. Ego, Princeps, Genuenſium ad te orator veni: quorum ingenia baſilicæ herbæ perſimilia ſunt: leviter tacta, ſuavem perfundunt odorem: contrita, ſcorpiones procreant. Hac parabola, adeò Principis animum movit, ut qui anteà rationibus nullis flectebatur, tum æquas aures impoſterum præberet. *Fulgoſus lib. 8. cap. 10. Ægidius Corrozetus de Dictis, & factis memorab.* Genuenſem civem, qui oratorem Ludovici Sfortiæ invitarat, hoc uſum commento ſcribit.

Laurentius Ridolphus Florentinus; cùm preſſus armis Philippi Mediolanenſis ducis Florentinus populus, ſæpiùs incaſſum à Venetis opem petiiſſet: is ultrò nullo publico nomine, Venetias profectus, poſteaquam in Senatu facundè multa de populi Florentini periculis diſſeruit, in operando, tanquam irarum, & indignationis plenus, turbato vultu, turbataque voce hæc ſubjunxit: Culpa veſtra Veneti, ſuperiore anno Genuenſis populus, cùm diutiùs Philippi ducis arma ſuſtinere non poſſet, dominum accepit, atque urbis ſuæ libertatem illius jugo ſubjecit. Eum nos quoque hoc anno regem faciemus:

ſequenti autem, vos eum imperatorio diademate ornabitis. A Atque ita è Senatu egreſſus eſt. Veriti Veneti ne deſperatione acta Florentina civitas, in gravem aliquem caſum ſe demitteret, inito cum ea fœdere, junctiſque armis, Philippi impetum compeſcuere. *Fulg. & Egnat. lib.8. cap.10.*

Caravagienſi Venetias nunciata clade, (ubi ingentes Venetorum copiæ profligatæ ſunt, duces capti, caſtra cum ampliſſima præda direpta) Franciſcus Foſcarus dux, ſtatim privatam pecuniam omnem ſuam in Senatum transferri juſſit: Patribus eam utendam obtulit, legati nomine diſcinctum aliquantulum in caſtra ſe profecturum pollicitus eſt, adeòque omnium movit animos tum dicendi vi illius; tum profuſa coram omnibus auri copia, ipſeque ad hæc paratus ad omnia: ut ſenatuſconſultum de bellum inſtaurando ſtatim ſit factum, ingenteſque copiæ paratæ, quibus & Sfortia Mediolanenſium dux repulſus eſt, & Veneti imperii majeſtas in ſuo veſtigio conſtitit. *Egnat. lib.8. cap.10.*

Inepta, infelix.

Diophanti exemplum. ☞ *Pete ex Tit. Rhetorum.*

Gorgiam, qui de Helena ſcripſit, maximè laudat Iſocrates inter eos, qui dicendo aliquid illuſtrare voluerunt, quòd eam B mulierem celebrandam duxerit, quæ & genere, & forma, & gloria multùm excelluerit. Sed intereà reprehendit illum, qui non animadverterit, cùm ſe laudationem ejus ſcribere profiteretur, defenſionem potiùs factorum ejus edidiſſe. Non autem ejuſdem generis eſſe, nec de rebus iiſdem haberi eandem orationem. Defendendi enim ſunt, qui alicujus injuriæ accuſantur, laudandi, qui bono quopiam aliis antecellunt.

Acutè increpuit adverſarium Drancem, magnum oratorem, Turnus, acris animi juvenis, apud Virgilium, quòd propinquis hoſtibus, aggredique urbem parantibus, oſtentaret importunam illam ſuam eloquentiam: neque enim tunc linguæ munus valdè requiritur, ſed magnum opus: quod ſi conſilii quoque uſus eſt, id ſubita expoſitione contentum eſt. Non malè igitur inde orationem exorſus, inquit:

Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi
Tum cùm bella manus poſcunt ——

Victorius lib. 2. Variorum, cap. 16.

Aristion tyrannus Athenienſium Athenis à Sylla obſeſ- C ſus, vix tanquam aliquando miſit ad agendum de pace duos, aut tres ex compotoribus ſuis. Quibus nihil ſalutare poſtulantibus, ſed Theſea, Eumolpum, parta de Medis decora jactantibus: Sylla, Faceſſite, inquit, beati, atque verba iſta referte vobiſcum. Ego quidem Athenas non diſcendi gratia ſum à populo Romano miſſus, verùm ad domandos rebelles. *Plutarch. in Sylla.*

Callistratus ſimili ineptia Arcadas Athenienſibus conciliare, & à Thebanis, & Argivis abducere nitebatur, exprobrans iſtis Oreſtem, & Alcmæonem, Argivos matricidas, & Oepidum, parricidam inceſtuoſum. At Epaminondas admirari ſe dixit ſtultitiam rhetoris Attici, qui non animadverteret, innocentes illos natos, domi ſcelere admiſſo, cùm patria eſſent pulſi, receptos eſſe ab Athenienſibus. *Probus in ejus vita.*

L. Saturninus ſeditioſiſſimus Tribunus pleb. à Senatu hoſtis judicatus, & interfectus eſt. Cùm igitur paulò pòſt C. Decianus P. Furium, hominem omnibus inſignem notis turpitudinis, ſummo ſtudio bonorum omnium pro Roſtris accu- D ſaret, atque in concione, quadam actionis ſuæ parte, de morte Saturni queri auſus eſſet; neque tum damnavit, & inſuper vox illa ſua temeraria ei exitium attulit; ipſe enim Decianus accuſator, non Furius, damnatus eſt. Nam eo, qui damnationem ipſe mereatur, accuſante: alterum ſi non virum optimum, at ſatis certè bonum civem, capite damnari, neque juſtum, neque honeſtum videri poſſe. *P. Ærodius ex Cicerone, pro C. Rabirio, & Val. Maximo lib.8. cap.1.*

Herodes Atticus ſophiſta, ob Regillam uxorem prægnantem interfectam cædis poſtulatus fuit apud Rom. ſenatum à Bradea Regillæ fratre. Is majorum claritate longè princeps, nec major nobilitatis oſtentator, argumentum generis ferebat in calceis epiſphyrion menoides eburneum, fibulam corniculantem, qualis fermè figura eſt in Luna decreſcente. Prodiens igitur is magno paratu, ad peragendum reum, de cauſa quidem pauca ferè, aut nihil; in laudibus verò propriis totus. Cùm multa jam de familia perilluſtri emugiſſet homo imperitus, ſcommate illum excepit Herodes: Tu inquiens in aſtragalis, hoc eſt, talis, geſtas nobilitatem. *Cæl. Rhod. lib.11. c.27. Antiq. Lect.*

C. Albutius Silus Novarienſis, cùm in lite quadam centumvirali adverſario, quem ut impium, erga parentes inceſſebat, jusjurandum quaſi per figuram ſic obtuliſſet: Ju- E ra per patris, matriſque cineres, qui conditi jacent, & alia in hunc modum arripiente eodem conditionem, nec judicibus aſpernantibus, non ſine magna ſui invidia negotium afflixit. Et rurſus in cognitione cædis Mediolani apud L. Piſonem proconſulem, defendens reum, cùm cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excanduit, ut deplorato Italiæ ſtatu, quaſi iterùm in formam provinciæ redigeretur: & inſuper Brutum, cujus ſtatua in conſpectu erat, invocarit, legum, ac libertatis auctorem, & vindicem: Quæ verba cùm ad ſeditionem pertinere viderentur, penè capite pœnas luit. *Suet. de claris Rhetor.*

DISPOSITIO APTA.

Hanc laudem Q. Hortenſio præter cæteras dotes eximiam dat Cicero in Bruto, quòd attulerit in forum minimè vulgare dicendi genus: duas quidem res; quas nemo alius: Partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & Collectiones; memor, & quæ eſſent dicta contrà, quæque ipſe dixiſſet. Maximè verò in M. Antonio hanc facultatem prædicat, quòd ei omnia venirent in mentem: eaque ſuo quæque loco, ubi plurimùm proficere, & valere poſſent, ut ab Imperatore equites, pedites, F levis armatura, ſi ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur.

MEMORIA RHETORUM

Felix, & firma.

☞ *Vide Tit. Memoriæ: ut quæ illic in genere dicta ſunt, huic loco in ſpecie inſerviant.*

M. Portio Latroni: oratori graviſſ. memoria natura quidem felix, ſed plurimùm adjuta etiam arte: nunquam illa, quæ decturus erat, ediſcendi cauſa relegebat. Edidicerat, cùm ſcriberet. Dicebat ita, ut in nullo unquam verbo eum memoria deceperit. Hiſtoriarum omnia ſumma notitia. Jubebat aliquem nominari ducem, & ſtatim illius geſta curſu reddebat. *Cælius lib.11. cap.13. Antiq. Lect. ex Seneca.*

Infelix.

Alcibiades ob nimiam in delectu verborum diligentiam memoria viſus eſt inter dicendum hebetiore. *Plut. in Alcib.*

ELOCUTIO RHETORICA

Apta in G

Delectu verborum, & Ornatu.

Gorgias Leontinus dictionem figuravit primus, antithetis præcipuè excellens, ac iſocolis, & pariſis, homœoteleutiſque, id genus aliis, quæ tunc novitate ipſa, & διὰ τὸ ξένον, mirè grata erant, ut ſoli ex omnibus apud Delphos aurea conſtitueretur ſtatua. Gorgiæ porrò feſtivitates (ſic enim Cic. cenſet) moderatius temperavit Iſocrates, cùm is inſolentiùs abuteretur, nam cùm & Thraſymachus numeros orationi adjunxiſſet primus, ſed immodicè tranquillior in eis, ac ſedatior apparuit idem Iſocrates. *Cæl. lib.11. cap.25. A.L.*

Polus Agrigentinus ſophiſta Gorgiæ auditor, primus in oratione inveniſſe dicitur pariſa, antitheta, & ſimiliter deſinentia. Quod minimè verum eſt: ſed jam inventis ſæpè uſum fuit, conſtat ex Platone. Cùm ſe jactaret inſolentiùs, Plato ſic hominem taxavit ὦ πῶλε, ἵνα προσείπω σε κατὰ σέ, id eſt, O Pole, ut te tuo alloquar modo. Polus Græcè ſonat pullum equinum: ipſo atque ſtatim nomine tetigit hominis arrogantiam. Imitatus eſt & ὁμοιόπτωτον, πῶλε σε κατὰ σέ. *Laert. lib. 3.* H

Laudat mirum in modum Dionyſius Halicarnaſſeus diligentiam Platonis, qua utebatur in componendis verbis, probatque ſtudium ipſius, qui cùm pectus haberet refertum plurimis ſcientiis, jamq; ad octogeſimum ætatis annum perveniſſet, non ceſſaret tamen expolire ſermones illos ſuos: præcipuè autem recta conſtructione verborum ipſos ornaret. τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους, inquit, κτενίζων, καὶ βοστρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλειπεν, ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. *Victor. lib. 9. Var. Lect. cap. 5.*

Alcibiades cùm inveſtigaret non tantùm res, quæ dicendæ eſſent, ſed & quibus quæque vocibus aptiſſimè efferentur: obmuteſcebat ſæpè inter dicendum, dum verba convenientia, memoria ſecum repeteret, & veluti excuteret. *Plutarchus in Alcibiade.*

Curio, cùm in cogitando tardus, & in inſtruendo diſſipatus eſſet, in actione, & memoria cachinnos ridentium commoveret, tamen quia ſplendidioribus verbis utebatur, & Latinè non peſſimè, uſu aliquo domeſtico loqueretur, inter eloquentes habitus eſt ætate Ciceronis. *Cic. in Bruto.*

Scopelianus Clazomenius ſophiſta Polemoni obiicienti,

quòd inter dicendum pulſaret tympanum : Tympanizo, in-
A quit, ſed Ajacis clypeo haud inficians, ſe in agendis cauſis interdum uti verbis, ac figuris vehementioribus: at non inani ſtrepitu, ſed ad cauſæ patrocinium accommodis. *Philoſtratus in Sophiſtis.*

Copia, & gravitate verborum, & ſententiarum.

☞ *Brachylogia, & Macrologia infrà ſub Studio, odioque Rhetorices. Hìc eloquentem tantùm brevitatem, & prolixitatem conſiderare volumus.*

Phocionis oratio verborum paucitate preſſior, erat perbrevis, multa verò ſententiarum magnitudine gravitate: adeòque huic uni erat intentus, ut quandoque theatro jam pleno, cùm obambularet cogitabundus, dicente quodam: σκεπτομένῳ ἔοικας ὦ φωκίων, Videre, ò Phocion, conſiderationi intentus. Bene conjectas, inquit: diſpicio namque, ecquid poſſim eximere ab iis, quæ apud Athenienſes ſum verba facturus. *Plut. in ejus vita.* Sequuti ſunt hæreſim eandem, & plerique alii non omninò infantes ſicuti in Latina eloquentia Grac-
B chi, in quibus umbra recognoſcitur, & quaſi color opacæ vetuſtatis, ac oratio non prorſus accurata, & quodammodo facta: & ſenior quoque Cato, quem Romanum Demoſthenem nuncupatum, auctor M. Tullius eſt: quemque ætatis ſuæ eloquentia non conventum, id jam tum facere adortum, dilucet, quod diu pòſt impleverit Cicero. *Cæl. lib. 25. c. 3. Antiq. Lect.* M. Tullius ſcribit, eum nullum unquam emiſiſſe verbum, quod emiſſum doleret. Quanquam Auguſtinus laudem quidem videri hanc clariſſimam ſcribit, credibiliorem tamen, de fatuo potiùs, quàm de ſapiente perfecto. *Cæl. lib. 13. cap. 5.*

Numero.

Cicero in Oratore tradit, Iſocratem in ſenectute temperaſſe ſibi judicio, ac voluntate à frequentia numerorum: quaſi cognoſceret uſu, nimis vinctam illam numeris orationem, quam anteà adamarat, vitio non carere: comprobatque hoc teſtimonio ipſius auctoris, quem affirmat hoc ſcripſiſſe in oratione ad Philippum Macedonem. Verba tamen Iſocratis videntur potiùs id ſignificare, idipſum feciſſe labore deterritum,
C quòd tantùm moleſtiæ, confectus annis, ſuſtinere non poſſet: ita enim ſeipſum purgat magno illo regi, ad quem librum miſit. Nam cùm apertè narret, ſe priùs hoc ornatu uti ſolitum, primumque ipſum aliis oſtendiſſe: addatque bona ipſius, dicens illarum rerum auxilio orationem jucundiorem, magiſque aptam ad perſuadendum effici, non videtur convenire ſententiæ illius, qui hanc rationem damnet. *Victor. lib. 2. Var. lect. cap. 17.*

Neglecta.

Cultum verborum, vel non curaſſe, vel aſſequi nequiiſſe, certè non præſtitiſſe M. Varronem, ex ejus libris liquet. *L. Vives in lib. 6. Aug. de Civit. Dei, cap. 2.*

Inepta.

☞ *Conſule Tit. Orationis affectæ, Materia ipſa ad Grammaticum pertinet. Delectus, & uſus etiam ad Rhetorem.*

Antigonus Rex Rhetorem audiens affecta oratione dicentem: χιονοβόλος ἡ ὡραγενομένη λεπτοβοτανῶν ἐποίησε τὴν χώραν, hoc eſt, Anni tempus nives parturiens, regioni herbeæ
D ſterilitatem invexit, Non deſines, inquit, mecum tanquam cum populo agere. *Plut. in Reg. Apophth.*

Demostenes, cùm iterùm ſe ad concionandum contuliſſet, ac nova quædam dixiſſet, riſu fuit exceptus, ut perſtrinxerint eum in comœdia Antiphanes, & Timocles:

μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμοὺς, μὰ νάματα.
Per terram, & fontes, per fluvios, & latices.

Ita cùm juraſſet ad populum, tumultum excivit. Juravit per Æſculapium quoque, pronuncians antepenultima acuta, docebatque ſe dicere rectè: eſſe enim blandum hunc Deum. Qua de cauſa ſæpiùs ei obſtrepitum eſt. Cæterùm, cum Eubulidæ dialectico Mileſio operam dediſſet, correxit omnia. *Plut. in vita Demoſthenis.*

Inter ea, quæ duram, atque inſuavem orationis compoſitionem efficiunt, vix quicquam eſt, quod magis reprehendatur à dicendi magiſtris, quàm crebra, & continuata ejuſdem literæ repetitio. Itaque in Virgilo: caſus Caſſandra canebat. in Terentio. Tantam tam improviſam, & Conſilia conſequi conſimilia: in Cicerone, Statua tua ſtabat: & Inviſæ viſæ: & in Cæliana, Unquam quanquam: ejuſdemque modi alia in aliis primæ claſſis auctoribus notantur. Apud Euripidem Me- E
dea, cùm Jaſoni exprobraret, illum ſua opera ſervatum eſſe, ita loquitur:

ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι.
ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος.

Quorum verſuum in priore, crebra illa repetitio literæ σ, locum etiam comicis jocis, ac ſalibus dedit: ſiquidem Plato comicus, & Eubulus, ejuſdem homo artificii, Euripidem ea de cauſa urbaniſſimè tetigiſſe traduntur. Alterum Sophoclis, & quidem ea in fabula, quæ quaſi regnum poſſidere inter tragœdias dicetur, ibi enim Oedipus cum Tireſia jurgans, eique & aurium, & mentis, & oculorum cæcitatem obiiciens, hoc cum verſu indignabundus inceſſit:

τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ.

Ubi cùm ſæpiùs etiam inculcaverit literam τ, quàm ille alter literam σ, tamen Euripides dicacium aculeos expertus eſt, Sophocles à nemine, quod ſciam, notatus. Sophocli non diſſimilis eſt Ennianus ille:

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.
Muretus lib. 1. Var. lect. cap. 15.

Titium ſaltare dicebantur, qui incompoſitè, ac ſolutè ge- F
ſtiebant. Fuit enim hujuſmodi ſaltationis genus, quod à Titio quodam malo oratore nomen invenit. *M. Tullius lib. de claris Oratoribus:* Quos Sextus Titius conſequutus, homo loquax ſanè, & ſatis acutus, ſed tam ſolitus, & mollis in geſtu, ut ſaltatio quædam naſceretur, qui ſaltationi Titius nomen eſſet. Ita cavendum, ne quid agendo, dicendove facias, cujus imitatio rideatur. Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus ſignificat, hoc convicium fuiſſe vulgo jactatum in Oratores ſuorum temporum, qui laſcivia verborum, & levitate ſententiarum, licentiaque compoſitionis, hiſtrionales modos exprimebant: atque adeò laudis, & gloriæ, ingeniique loco jactabant, ſaltari, cantarique commentarios ſuos: oratores temerè dicere, hiſtriones disertè ſaltare. *Eraſmus in Adagiis.*

Quamvis multum tribuerit Cicero rectæ collocationi verborum, ac ſuprà cæteros Romanos homines numeroſæ orationi ſtuduerit: aliquando tamen tam accuratam diligentiam contempſit, inciditque in ſtructuram, eam quam vitioſam eſſe, ſummoque ſtudio declinandam Iſocrates, hujus concinnitatis obſervator mirificus, ac magiſter, putavit, quod etiam notat G
Quintilianus lib. 9. ita præcipiens: Videndum etiam, ne ſyllabæ verbis priori ultimæ, ſint primæ ſequentis. Id ne quis miretur, Ciceroni in epiſtolis excidit: Res mihi inviſæ viſæ ſunt Brute & in carmine:

O fortunatam natam me Conſule Romam.
Victorius lib. 16. Var. lect. cap. 10.

Oschus rhetor, cùm eloquentiſſimus eſſet, ejus tamen orationem nil aliud vitiabat, quam affectatio, nihil enim ſine ſchemate dixit unquam. Ideòque cùm Pacatus Rhetor Maſſiliæ ei obviàm factus eſſet: Poteram, inquit, dicere, Ave Oſce. Affectatorem affectata ſalutavit oratione. Uſus enim eſt ironica occupatione præter omnem neceſſitatem, ut irrideret hominem ſemper affectatè loquentem. *Bruſonius lib. 4. cap. 31. & Eraſm. lib. 8. apophth.* Oſcius, inquit Seneca, non incommodè dixit, ſed ſibi nocuit, dum nihil ſine ſchemate dicere cupit: ita oratio ejus non figurata eſt, ſed prava.

Anneus Seneca culpatur, qui tanta ſententiarum continuatione nullum relinquebat umbris locum, quod fieri in pictura conſuevit. Itaque obruebat lumina, & gratiam perdebat. Quod tamen ipſe in Oſcio carpebat. *Lud. Vives l. 2. de ratione dicendi.* H

Dictio Ulpiani Sophiſtæ, quia veteres tantum imitari voluit, in declamatorio genere prorſus iners, mortua, & vitalis ſucci expers eſt: videturque in eo genere caruiſſe doctore, ſiquidem pleraque etiam vulgaria, & vel pueris perſpicua, ignoravit: epiſtolis verò, & id genus aliis ſalutationibus, & alloquiis, abundè aſſurgit, & ad exemplum veterum Scriptorum ſeſe accommodat. *Eunapius in ejus vita.*

Sopolis rhetor Athenienſis, præceptor Eunapii, dicendi genus ad priſci ſeculi characterem efformavit, neque otioſè Deorum fores pulſavit, ſed raró apertas. Quin ſi quando verſi cardines ſtriderent, exigua quapiam divini flatus particula intro allapſa, auditores percellebantur, neque ferebant vi extortam illam Caſtalii laticis guttam. *Eunapius in ejus vita.*

ELOQUENTIÆ, RHETORICÆ
A Inventores.

☞ *Conſule Titulum Rhetorum, ſuprà. Illic Habitus, quem poſſident: hìc ratio habetur Modi, ipſius ſcilicet Inventionis, quo habitus acquiritur.*

Rhetoricam Polyhymnia inveniſſe dicitur. Diodoro verò, & Poetis Mercurius. Eapropter *Horatius* ſic in illum canit:

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti, &c.

Quamvis in ſexto Diodorus Mercurium ἑρμῆν dictum velit, hoc eſt, interpretem, non quòd orationis fuerit inventor, ſed quia diligentiùs, quàm cæteri, mandata referebat. Ariſtoles primùm Empedoclem artis inventorem facit, & Quintilianus idem ferè ſentit in tertio. Artis ſcriptores antiquiſſimi fuerunt Corax, & Tiſias Siculi, quos Gorgias Leontinus ſecutus eſt. *Polyd. lib. 1. cap. 13. de Rerum invent.*

Conſtat, Cadmum ſolutæ orationis auctorem fuiſſe: Zenonem verò Elatem, & Alexamenem Tejum, ſive Scyrium, Dialogorum, teſte *Ariſtotele de Poetica.*

B Cleon, orator Athenis ſua ætate vehemens, primus inter agendum vociferatione uſus eſt, percuſſitque femur manibus, in pulpito diſcurrens: quæ res adeò inolevit, ut noſtri quoque non olim modò idem factitarint, ſed morem ex Græcia receptum ad poſteros tranſmiſerint. *Sab. lib. 6. cap. 2. ex Plut.*

Cephalus Athenienſis orator, primus Procemia, & Epilogos introduxiſſe dicitur. *Suidas.*

ELOQUENTIÆ DOCTORES,
Et Magistri.
Tum
PRÆCEPTIS.

☞ *Conſule Tit. Rhetorum, quatenus docent alios.*

Isocrates Theodori filius, Platone ſeptem annis major natu, Gorgiam, Tiſiam, Theramenem audivit. Ne ad Rempublicam accederet, in cauſa fuit linguæ hæſitantia, animi timiditas, & quòd patrimonii bello Pelloponneſiaco naufragium feciſſet: advocatum autem præſtitiſſe ſe aliis apparet. Unam tantùm cauſam oravit illam de antidoſi. Habuit autem cœtus: atque ad philoſophiæ ſtudium, & ad ſcribendum contulit ſe Orationem Panegyricam, & nonnullas in genere de-
C liberativo conſcripſit, quas partim ipſe recitavit, partim aliis paravit, ea ratione ratus, Græcos ſe ad recta ſtudia capienda excitaturum. Quod inſtitutum cùm eum falleret, temperavit ab orationibus ſcribendis, ac ludum aperuit primùm, ut nonnulli autumant, Chii: ubi auditores novem habuit. Quo tempore cùm numerari vidit mercedem, in lacrymas effuſus: Nunc nimirum hoc me precio venundatum agnoſco. Vacavit quibuslibet, diſtinxitque principis actiones judiciales à publicis, in quibus elaboravit. Auditores habuit ad centum, inter multos alios Timotheum Cononis. Quem ad multas urbes proficiſcentem comitans, epiſtolas, quas ille Athenienſibus mittebat, compoſuit. Quapropter donavit ei Timotheus talentum de ea pecunia, quæ ex Samo parata erat. Illo rhetoricam docente, ac mille drachmarum precium à diſcipulis exigente, Demoſthenes cùm non poſſe ſe tantum pendere profiteretur, ducentas ſaltem, quò quintam artis partem diſceret, daturum pollicitus eſt. Reſpondit ille; Non concidimus, Demoſthene, commentationem noſtram fruſtulatim, verùm ut inſignes piſces, totos vendimus, ita ego tibi, ſi lubebit, à me accipere diſciplinam, integram artem tradam. Solitus
D erat diſcipulis ſuis dicere, minis ſe decem docere: qui ipſum docuiſſet, animoſum eſſe, & vocalem, ei ſe decem millia daturum. Roganti, Quid, qui ipſe ineptus eſſet ad dicendum, alios aptos faceret: Quia inquit, nec cotes incidere valent, quæ tamen ferrum ad incidendum reddunt aptum. Sunt qui artem rhetoricam eum ajunt conſcripſiſſe, alii non via, & ratione, ſed uſu valuiſſe. *Plut. in vita Iſocratis.*

Æschines orator, Philippo defuncto, cùm jam in Aſiam Alexander tranſcendiſſet, accerſivit Cteſiphontem, quòd rogationem contra legum interdicta de Demoſthenis honoribus promulgaſſet: ac cùm minùs quinto quoque calculo tuliſſet, Rhodum ivit exulatum, quòd mille drachmas mulctæ dependere nollet. Illic ſcholam aperiens docuit, recitavit Rhodiis venditandæ eloquentiæ ſuæ cauſa orationem contra Cteſiphontem. Mirantibus cunctis, eum hac oratione habita ſuccubuiſſe: Haud miraremini, inquit, Rhodii, ſi huic reſpondentem Demoſthenem audiviſſetis. Ubi ſcholam quoque, qui ludus Rhodiacus fuit appellatus, reliquit. Inde Samum navigavit, degenſque in ea inſula, brevi poſt extinctus eſt. *Plut.* E
in vita Æſchinis.

EXEMPLIS. Quæ vel

Imitentur.

Tiberius, & C. Gracchus eloquentiam ſuam, qua potentiam Senatus, & patriciorum opprimere conabantur, à matris Corneliæ uberibus primùm ſuxerunt: deinde ejuſdem domeſtica converſatione didicerunt: adeò ut nullis pari eloquentia, ſed armis tantùm, vis tanta domari poſſet. *Plut. in Gracchis.*

Hortensia Q. Hortenſii filia, non tam inſtitutione quàm converſatione, ex aureo paternæ eloquentiæ fonte rivulos ſuos deduxit, ut quantus ille inter Romanos, tantùm hæc inter Romanas excellucrit. *Valerius lib. 8. cap. 3.*

Recitent, Qui orationes ab aliis habendas ſcribunt.

☞ *Conſule Tit. Rhetorum infrà. Et Eloquentiæ.*

Lysias compoſuit orationes, Iphicrati unam adversùs Har- F
modium: alteram, qua perduellionis Timotheum accerſit, atque utramque cauſam tenuit. Profeſſus enim cùm Iphicrates fuiſſet, quicquid geſſiſſet Timotheus, ſe geſtum auctore, ratione reddita actorum, perduellionis crimen reparans, defendit ſe Lyſiæ oratione. Atque fuit ipſe quidem abſolutus, ſed Timotheo magna mulcta pecuniaria dicta. *Plut.*

Rhetorica Exercitia
conſiderata reſpectu

SUBJECTI. EXERCERI IN
Quæſtionibus, Declamationibus,
Orationibus.

Contradictoriis. In utramque partem.

Cùm inter ſecundum, & tertium Punicum bellum Athenienſes Romam legatos miſiſſent, Carneadem Academicum, & Critolaum Peripateticum, & Diogenem Stoicum, tres nobiliſſimos illius ætatis philoſophos; Carneades vel exercen- G
di ſui, vel oſtentandi ingenii gratia, pro juſtitia, elegantem, & acutam habuit orationem, Catone priſco, Galba, & aliis pleriſque principibus viris præſentibus. Poſtridie pro injuſtitia oravit eiſdem audientibus: diluitque omnia pridiana argumenta, aliaque attulit pro injuſtitia fortiora, quod fecit ex more ſectæ, cujus inſtitutum eſt, nihil ipſos affirmare, tantùm confutare aliena. Ex hac poſteriore diſputatione *L. Furius Pilus apud Ciceronem lib. 3. de Republica* aggreſſus eſt accuratiſſima oratione juſtitiam vituperare, ut eloquentiam Lælii excitaret ad laudes illius virtutis: eadem mente, qua Glauco libro de Republica Platonis ſecundo injuſtitiam laudat, ut Socratem de juſtitia diſſerentem audiret. *Ludovicus Vives in lib. 2. Auguſtini de Civitate Dei, cap. 11.*

Abſurdis.

Hortensius philoſophiam vituperavit. Chryſoſtomus Dion eloquentiſſimam in philoſophos orationem procudit. Taceo Sillorum opus abſinthio conſperſum, quòd Timoni philoſophorum expreſſit irriſio. *Cæl. lib. 29. cap. 8.*

Phavorinus philoſophus exercendi ingenii gratia, liben- H
ter in ἀδόξους καὶ ἀπόρους ὑποθέσεις dicebat. Itaque Therſitem laudavit, & Febrem quartanam, cui Heſiodi illum verſum ſcitè accommodavit:

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη ἄλλοτε μήτηρ.

Nam cùm ita ſit, ut in rebus humanis benè, aut malè vice alterna ſit: hæc febris biduo medio intervallata, quantò eſt fortunatior, in qua eſt μία μητρυιὰ δύο μητέρες; *Gell. lib. 17. cap. 12.*

Periculoſis.

Carina Secundus orator, exilio à C. Caligula Romanorum Imp. damnatus eſt, quòd exercendi ſui cauſa, contra Tyrannos declamaſſet. *Xiphilinus.*

Cl. Æliano Præneſtino ſophiſtæ olim occurrens Lemnius Philoſtratus, librum indignanter, & concitatè lectitanti, inſtitit quærere, Quidnam foret ſub incude: Elaboravimus, inquit: Gynnidis accuſationem: ſic enim tyrannum voco, qui paulò antè Romano imperio infamiæ labem inuſſit, morum

turpitudine. Cui Philoſtratus graviter admodum: Admi- A rater (inquit) impenſius, ſi viventem accuſaſſes. Siquidem ſuperſtitem tyrannum laceſſere, viri opus cenſeo: functum verò fato, cujuſque. *Suidas, & Cælius lib. 21. cap. 32. A. L.*

COLLECTANEIS.

Syntaxes Grammaticæ à Grammaticis ſimplici orationis genere inſtituuntur: Rhetoricæ vero à Rhetoribus ornato ſtylo. Sic Macrobius, Gellius varias lectiones: ſic Valerius Maximus, Ælianus Præneſtinus, & ex recentioribus M. Ant. Sabellicus, Joan. Bapt. Egnatius, Campofulgoſus, Leonicus Thomæus exempla hiſtorica congeſſere.

QUANTITATIS.

☞ *Ex Tit. Rhetorum exempla quædam huc pertinebunt.*

MODI. VEL

Memoriter.

☞ *Conſule Tit. Memoria qui valuere.*

E Scripto.

AUGUSTUS Cæſar, ne periculum memoriæ adiret, aut prolixitate odioſus eſſet, inſtituit recitare omnia in Senatu; in concione, apud milites. *Suetonius.*

B TEMPORIS DECLAMATIONES.

PRÆMEDITATÆ.

Pericles Athenienſis verba facturus apud populum, non niſi præmeditatus in concionem progrediebatur: optabat interim à diis immortalibus, ne verbum ullum ſibi excideret, quod quemvis civium offendere poſſet. *Plutarch. in ejus vita.* Primus ſcriptam orationem in judicio habuit: cùm ii, qui illum anteceſſerant, extempore dixiſſent. *Suidas, & Sabellicus lib. 5. Ennead. 3.*

DEMOSTHENES habitus eſt parum ingenioſus, ſed vim, & facultatem dicendi parare ex labore. Cujus magnum indicium videbatur, quod haud temerè quiſquam Demoſthenem audierit extemporè dicentem: ſed cùm in concione ſæpè ſederet, & populus nominatim eum exciret ad dicendum, niſi eſſet meditatus ad id, & paratus, non procederet. Hinc alii concionatores illudebant eum, & Pytheas irridens lucernam olere ait enthymemata ejus. Cæterùm hunc amarè Demoſthenes retudit: Nempè non eorundem, inquit, tibi, & mihi, Pythea, conſcia eſt lucerna, furti, & libidinis C illum arguens. Demoſthenem nunquam extinxiſſe, ſcriptum eſt, lucernam, dum uſque ad annum ætatis quinquageſimum perveniſſet, formantem dictionem ſuam. Ipſe aquam oſtendit ſe potaſſe. Improperanti Epicli, quòd perpetuò meditaretur. Nempe puderet, inquit, me, ſi, cùm tanto populo conſulam, oratione uterer tumultuaria. Antelucanis vigiliis cum fabris contendebat, ſed & ſtudium ſuum non planè id ibat inficias: ſed fatebatur, non omninò ſcriptionem adhibere ad dicendum, neque dicere tamen etiam ſe ſine ſcriptione. Immò popularem hominem oſtendebat eſſe eum, qui ad dicendum meditaretur, cum enim pertinere ad obſervantiam populi Athenienſis apparatum. In oratione contra Midiam, lucubrationis fructum clarè ob oculos ponens: Ego verò, inquit, commentatum eſſe me ajo, atque haudquaquam inficias eam. Sanè, quantum valui, meditatus ſum. Etenim miſer ſim, ſi cùm ita acceptus ſum, & accipior, ea, quæ dicturus de his eram, neglexiſſem. *Plutarch. de Juſtit. libris.* Neceſſitate tamen urgente, & veræ etiam oſtentandæ artis cauſa per occaſionem nonnunquam D extempore dixit; ſed rarò. Demades, illo aliquando perculſo exurrexit promptè, cumque in dicendo expeditè juvit: Demadem ille nunquam. Adeòque apparet, revera Demoſthenem cætera Periclis neglexiſſe; actionem verò ejus, & conformationem, nève derepentè, neque omni de re diceret fortuitò, velut hinc creviſſet, ſecutum eſſe, & ut quàm maximè poſſet extempore diſcere, noluiſſe tamen frequenter ſuam facultatem credere fortunæ. *Plutarchus in Demoſthene, & in vitis Decem.*

Lycurgus orator Athenienſis meditabatur noctu, & interdiu, quòd non benè eſſet ad ſubitò dicendum comparatus. Ac quò facilius excitaretur, & meditaretur, in lecto cubabat, in quo villus tantum, & pulvinus erat. Obtrectanti cuidam, quòd exercens ſe ad dicendum, mercedem ſophiſtis penderet: Ego verò, inquit, ſi quis filios meos mihi ſe oſtendat redditurum meliores, non mille drachmarum, ſed dimidium cenſus mei impendam. *Plut. in vita Lycurgi.*

PHOCION Athenienſis cùm in concione ſederet ſeorſim, acceſſit quidam, qui diceret: Videre cogitabundus, o Phocion. Rectè quidem conjectas, reſpondit: cogito enim, ſi quid queam detrahere his, quæ dicturus ſum apud Athenienſes. *Plut. in apoph. Græcorum.* E

C. Carbo canorus orator; volubilis, ſatis acris, vehemens, valdè dulcis, præfacetus, induſtrius, diligens, in exercitationibus, commentationibuſque multum operæ ſolitus ponere. *Cicero in Bruto.*

Dicitur Cicero non ſecus, ac Demoſthenes in actione laboraviſſe: eaque de cauſa ſedulò nunc Roſcio Comœdo, nunc Æſopo Tragœdo operam dedit. Eum ſatis conſtat, contendere cum Q. Roſcio hiſtrione ſolitum, utrùm ille ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diverſo pronunciaret. Quæ res ad hanc artis ſuæ fiduciam Roſcium abſtraxit, ut librum conſcriberet, quo eloquentiam cum hiſtrionia compararet. *Macrobius lib. 3. Saturn. cap 14. & Plut. in ejus vita.*

Idem, cùm cauſam oraturus eſſet apud Centumviros, jamque dies inſtaret. Erotam ſervum manumiſit: eò quod nunciaſſet, cognitionem in poſterum diem fuiſſe prorogatam. Tantùm enim temporis ſibi ad examinandum ea, quæ concepiſſet, datum eſſe gaudebat.

Auguſtus neque in ſenatu, neque ad populum, neque apud milites locutus eſt unquam, niſi meditata, & compoſita ora- F tione: quamvis non deficeret ad ſubita, ex temporali facultate. *Suetonius.*

Ariſtides patria Adrianus ex Myſia, ſive Bithynia, Eudæmonis philoſophi filius, dicendi copia, & vi expreſſit Marco Imp. ut Smyrnam motu tetræ, ac hiatibus labefactatam, & funditus penè everſam, reſtitueret: cùm monodia, hoc eſt, oratione querula, & flebili frequens eliceret ſuſpirium, mox verò etiam lacrymas, ac demum intuliſſet, ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν καταπνέουσιν: hoc eſt deſolatum perflant Zephyri.

EXTEMPORANEÆ.

Αὐτοσχεδιαστικαί.

Extemporalis orationis, quam αὐτοσχέδιον, & σχέδιον λόγοι Græci vocant, princeps videtur eſſe Gorgias Leontinus, patre Carmantida natus, neglectum cultum in orationibus approbans, ut *in Eliacon ſecundo* ſcribit *Pauſanias*. Is enim Athenis in theatrum progreſſus, primus auſus fuit dicere, Προβάλλετε, id eſt, Proponite: innuens nihil omnium latere ſe, & quavis de re propoſita paratum diſſerere, ut *Phi-* G *loſtratus* commemorat, quod & *Cicero* non uno in loco repetit his verbis: Is princeps ex omnibus auſus eſt in conventu poſcere, qua de requiſque vellet audire. Quin apud Platonem Gorgias de omni re, quæcumque in diſceptationem, quæſtionemque vocaretur, copioſiſſimè ſe dicturum profitetur. Alii Æſchinem Atrometi filium inveniſſe τὸ σχεδιάζειν ſcribunt, qui tempore Mauſoli Cariæ regis Rhodum profectus extemporanea oratione illum celebravit. Sunt qui à Pericle fluxiſſe σχεδίων λόγων fontes memorant: neque deſunt, qui ad Pythonem Byzantinum hujus inventionis gloriam trahunt. *Cog. lib. 3. Narrat.*

ANAXIMENES Lampſacenus, ſophiſta, & philoſophus inſignis fuit, & primus extempore dicere fuit auſus. *Pauſanias lib. 6. & Suidas.*

Calliſthenes extemporanea laudatione, & vituperatione Macedonum, exitium ſibi peperit ☞ *Vide tit. Diſerti philoſ.*

Demades, valebat extemporali dictione, cùm Demoſthenes non niſi de ſcripto diceret. *Plut. in Græcorum Apoph.*

DEMOSTHENES, etſi non niſi præmeditatus dicere conſue- H rat, tamen neceſſitate oblata, gloriæ occaſione uſus eſt. Sic Byzantium Pythonem inſultantem, & invehentem flumine orationis in Athenienſes, ſolus ſurgens refutavit: & cùm Lamachus Mirinæus (Terinæus in vita decem legitur) regum laudationem conſcripſiſſet Alexandri, & Philippi, qua multa probra congeſſit in Thebanos, & Olinthios, eamque in conventu recitaſſet Olympiaco: ſubitò ſurgens, commemoratis exemplis, & argumentis multorum Thebanorum, & Chalcidenſium erga Græciam meritorum, contra multis calamitatibus, quæ adulatoribus Macedonum referendæ acceptæ eſſent: uſque adeò commovit auditores, ut perculſus tumultu ſophiſta ſubduceret ſe ex conventu. *Plut. Demoſt.* At *idem in vita Decem oratorum* eum pleraſque orationes extempore habuiſſe ſcribit, quòd ad eam facultatem habilis eſſet.

Æſchines, Demoſthenis æmulus, extemporanea dicendi facultate præditus fuit. ☞ *Vide tit. Eloquentum.*

CARNEADES Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus, ab Athenienſibus legati Romam miſſi ſunt. Hi legationem in Senatu vetuſto more per interpretem peregerunt, petentes mulctæ remiſſionem, quam propter Oropi va- A ſtationem S. P. Q. R. populo Athenienſi indixerat. Quæ quidem mulcta, ut eſt in Saturnalibus, fuerat talentum D. Celeberrimo poſteà urbis loco, maximo populi concurſu, oſtentandæ eloquentiæ gratia, ſeparatim quiſque extempore diſſeruit: traditumque eſt memoriæ, Carneadis impetuoſam, & torrentem, Diogenis prudentem, & jucundam, Critolai circumſpectam, & ſuavem eloquentiam fuiſſe.

Proæreſius Armenus ſophiſta, Rhetorices profeſſor Athenis, æmulorum technis urbe pulſus, poſtliminiò reverſus eſt. Ibi proconſul animi cauſa Sophiſtarum cœtum convocavit, & extempore de propoſita quæſtione dicere ſingulis juſſit. Tergiverſantibus cunctis, & Ariſtidis rhetoris verba proferentibus. Quod non eſſent vomentium è numero, ſed elaboratè aliquid enitentium: Proconſul Proæreſium de hoc ipſo compellavit. Ille animadvertens duos ex adverſariis ſuis in angulo deliteſcere, eos in medium produci petiit, ut quam vellent quæſtionem proponerent. Coacti illi, atque inter ſe collocuti, propoſitionem è vulgo petitam, ab omni ornatu oratorio prorſus alienam, protulerunt. Ibi tum Proæreſius notarios dicta ſua excepturos ſibi dari, & ne B quis plauſum daret, concedi ſibi petiit. Mox tanta cum eloquentia, & orationis flumine negotium peregit, ut, omnes illum tanquam Deum ſuſpicerent. Ubi ad agonem ventum erat tum demum vix aſſequentibus eum ſcribis, & corona ægrè ſilentium tenente, converſo ad ſcribas vultu: Obſervate, inquit, diligenter, meminerimne omnium, quæ dixi hactenus, & ſi vel verbo ullo titubem, aut peccem. Eandemque orationem denuò ordine recitare cœpit: ſic ut nec Proconſul, nec auditores amplius ſilentium tenerent, ſed ſophiſtæ pectus velut ſimulacrum Dei alicujus circumlamberent, alii manus, alii pedes deoſcularentur ſupplices, nonnulli Mercurii eloquentiæ præſidis typum nominarent. Proconſul certè eum cum omni ſatellitio ſuo comitatum è Theatro honorificè deduxit. Quin ſæpè aliàs extemporalis eloquentiæ ſuæ ſpecimen dedit, uti narrat *Eunapius in ejus vita.*

CERTAMINA ELOQUENTIÆ RHETORICÆ.

C RHETORUM.

Inter Protagoram ſophiſtarum acerrimum, & Evathlum diſcipulum, lis, & controverſia ſuper pacta mercede hæc fuit. Evathlus, adoleſcens dives, eloquentiæ diſcendæ, cauſarumque orandi cupiens fuit, is in diſcipulum Protagoræ ſeſe dedit, daturumque promiſit mercedem, grandem pecuniam, quantam Protagoras petiverat: dimidiumque ejus dedit jam tunc ſtatim, priuſquam diſceret, pepigitque ut reliquum dimidium daret, quo primùm die cauſam apud judices oraſſet, & viciſſet. Poſteà cùm diutulè auditor, aſſectatorque Protagoræ fuiſſet, & in ſtudio quidem facundiæ abundè promoviſſet, cauſa tamen non reciperet, tempuſque jam longum tranſcurreret, & facere id videretur, ne reliquum mercedis daret: capit conſilium Protagoras, ut tum exiſtimabat, aſtutum, petere inſtituit ex pacto mercedem, litem cum Evathlo conteſtatur. Et cùm ad judices conjiciendæ, conſiſtendæque cauſæ gratia veniſſet, tum Protagoras ſic exorſus eſt: Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, utroque id modo fore, uti reddas quod peto, ſive contra te pronun- D ciatum erit, ſive pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego vicero? ſin verò ſecundùm te judicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea reſpondit Evathlus: Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obviàm, verba ipſe non facerem, atque alio patrono uterer. Sed majus mihi in iſta victoria prolubium eſt, cùm te non cauſa tantùm, ſed etiam in argumento vinco. Diſce igitur tu quoque, magiſter ſapientiſſime, utroque modo fieri, uti non reddam, quod petis, ſive cõtra me pronunciatum fuerit, ſive pro me. Nam ſi judices pro mea cauſa ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non vicero. Tum judices dubioſum hoc, inexplicabileque eſſe, quod utrinque dicebatur rati, ne ſententia ſua utramque in partem dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet, rem injudicatam reliquerunt, cauſam in diem longiſſimum diſtulerunt. *Gellius lib. 5. Noctium Atticarum.*

Corax quidam primus Syracuſis, poſt mortem Hieronis, inſtituit artem rhetoricem mercede profiteri. Cùm hoc adoleſcens quidam Tiſias hac lege pactus eſt, ut tum demùm mercedem perſolveret, ubi jam artem perdidiſſet. Dein ubi jam E arte cognita præmium reddere cunctaretur, Corax in jus diſcipulum vocat. Ibi juvenis hujuſmodi dilemma proponit. Percontanti quis eſſet artis finis, ubi Corax reſpondiſſet, perſuadere dicendo: Age inquit, ſi perſuadeo judicibus, me nihil debere non reddam, quia vici cauſam, ſin minus perſuadeo, non reddam, quia non perdidici artem. At Corax Tiſiæ dilemma tanquam vitioſum, & ἀντίστρεφον, in diſcipulum retorſit ad hunc modum: Immò, inquit, ſi perſuades, dabis, quia tenes artem, & debes ex pacto, ſin minus, dabis, quia ſententiis judicum damnatus. Quod commentum tam vafrum, tamque callidum ubi judices audiſſent, admirati verſutiam adoleſcentis ſucclamarunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Sunt qui narrent hoc ſucclamatum à corona circumſtantium, cùm alter alteri intenderet. *Eraſmus in Adagiis.*

DEMOSTHENES profectus ad Olympiacam Græciæ celebritatem, audienſque ibi Lamachum Terinæum (Mirinæum habet in vita Demoſthenis) qui Philippi, & Alexandri laudationem recitabat, Thebanos autem & Olinthios inſectabatur: objecit ſe ei, atque veterum poetarum elogia de rebus à Thebanis, & Olynthiis præclarè geſtis protulit, ut obmu- F teſceret deinceps Lamachus, atque ex conventu fugeret. *Plutarchus in vita Decem.*

Mortuo Alexandro, Athenienſes reſpirantes paululùm, contra Macedones inſurrexere. Demoſthenes, qui in exilio erat, legatis Athenienſium aſſocians ſeſe, conatus eorum adjuvit, quò civitates conjunctis verbis Macedones adorirentur. In Arcadia Pitheam, & Demoſthenem memorat Phylarchus, dum hic pro Græcis, ille verba facit pro Macedonibus, ad mutua progreſſos convicia fuiſſe. Perhibetur Pytheas dixiſſe, ut domum, in quam lac aſininum infertur omninò laborare aliquo morbo arbitramur: ita urbs non poſſe fieri, quin ægrotet, quam legatio adiret Athenienſium. Demoſthenem verò retorſiſſe exemplum hiſce verbis: Et lac aſininum ad ſanitatem inferri, & ad ſalutem ægotantium adeſſe Athenienſes. Quibus populus Athenienſis captus, reditum Demoſtheni decrevit. *Plut. in Demoſthene.*

Rhetorum certamen annuum Lugduni ad confluentem Araris, & Rhodani à Julio Cæſare inſtitutum. *Antonius Pinetus in deſcript. Urbium.*

C. ALBUTIUS Silus Novarienſis, ædilitate in patria functus, G Romam venit: receptuſque in Planci oratoris contubernium, cùm ab eo provocatus, ſplendidè, eleganterque perorando, Planco ſilentium impoſuiſſet, ex eo clarus propria auditoria inſtituit. *Suetonius de claris oratoribus.*

ANATOLIUS Berytenſis, Conſtantis Imp. præfectus prætorio, eloquentiæ amator, Athenas properavit: & præmiſſo ad ſophiſtas problemate quodam, de ſtatu problematis, juſſit omnes in eo ingenii nervos intendere. Formidabilior fuit illius in Græciam deſcenſus ſophiſtis, quàm Xerxis olim. Omnes enim ſe fatigabant, dum pro generali quæſtione, & ſtatu problematis, ſuam quiſque opinionem excolit, atque expolit. Ubi venit Anatolius, ſophiſtas ad certamen indictum provocavit. Illi certatim pro ſe quiſque alius alium prævertere ſtudebat, oſtentandi ingenii cauſa. Anatolius verò illos ridebat, & vicem parentum dolebat, quorum liberi ab ejuſcemodi præceptoribus inſtituerentur: illorumque ridens diſſidia, Si plures quam tredecim fuiſſent profeſſores, inquit, adinveniſſent fortè & alios ſtatus, ut unum, idemque problema multifariam commentarentur. H Solum verò Proæreſium laudavit, qui conciliata ſibi familiarium Anatolii benevolentia, & ab iis edoctus ſtatum, quem ille laudandum ſuſceperat, etſi nullius momenti res erat, aptè tamen & extempore dixerat. *Eunapius in vita Proæreſii.*

Juliano rhetore Athenis extincto, poſtquam civitas incenſa fuit, ſtudio deligendi ſucceſſorem, nihil in docendo prærogativam refert, plurimi docendæ ſophiſtices munus ambientes nomen ſuum profeſſi ſunt. Cæterùm ex omnibus delecti per ſuffragia Proæreſius Armenus, Hephæſtion Epiphanius, & Diophantus Arabs. Acceſſit ad numerum Sopolis, clandeſtino, & deſpecto ſupplemento, & Parmaſius quidam è viliore etiam: oportebat enim ex inſtituto Romanorum, Athenis viciſſim alios dicere, alios auditores eſſe. His ergo per ſuffragia creatis, una pars minorum gentium vocabatur, & ſimplicior, cujus poteſtas finiebatur tribunalium ſubſelliis, & ſuggeſto, in quod aſcendebatur: mox in Majorum gentium, & præſtantiores ſophiſtas diviſa fuit civitas: nec ea modò, quin cunctæ nationes Romano nomini ſubditæ: neque diſſenſio erat inter

illos de eloquentia, ſed de totis nationibus propter eloquen-
A tiæ facultatem, cui cederent. Siquidem totus Oriens ceu magiſtratus quiſpiam, aut honorarium Epiphanio in delectum abiit haud obſcurè: Diophantus Arabiam ſortitus eſt: Hepheſtion reverentia Proæreſii pariter, & reliquit Athenas, & ex hominibus exceſſit: Proæreſio Pontus univerſus, Bithynia, Helleſpontus, Lydia, Ægyptius univerſa ob celebritatem in dicendo, ceu peculium obvenerat, & quæ plaga ſupra Ægyptum ad Lybiam extrahitur, & incognitis finibus, ſed tamen habitatis, circumſcribitur. Neque verò eloquentia tantùm, ſed & miris auribus ineſcabant, & alliciebant auditores Habebant ſinguli ſuarum partium ſtudioſos naucleros, caupones, addo etiam meretrices: & è navi egreſſos ſtudioſos captabant ad hunc, vel illum profeſſorem adducere. Sicuti *Eunapius in vita Proæreſii, & Ulpiani* docet, Ulpianum inſidiis Diophanti auditorum, à ſchola Proæreſii abductum aſſerens.

POLITICORUM.

Thucydides rogatus ab rege Spartiatarum Archidamo, ipſe an Pericles lucta præſtaret? Nemo, inquit, id poſſit dicere. Nam ſi quando luctando cum ego proſtravi, ille ſe negans cecidiſſe, vincere perſuadet ſpectatoribus. Id verò non illi
B modò laudem, verùm etiam ſalutem civitati peperit. Dum enim ei obſecundat, conſervavit opes ſuas, & rebus externis abſtinuit. Nicias, qui idem conſilium ſectabatur, quia ea facundia deſtituebatur, & quaſi molli fræno parabat oratione populum deflectere, non retinere eum, neque reprimere valuit: ſed vi ablatus in Siciliam eſt, atque unà cum repub. effuſus. *Plut. in Pericle, & in Præceptis politicis.*

Incredibilis amor Danorum procerum in Frotonem III. regem, eos coegit de regno conſulturos, ut decernerent, illum fore regem, qui excellentiſſimo, & rariſſimo elogio defunctum regem cohoneſtaſſet. Tanto præmio propoſito, certabant univerſi, defuncti gloriam extollere. Alius eum commemoratione rerum geſtarum diis æquabat, alius juſtitiam ejus exemplo etiam honorandam cenſebat. Hiarnus verò, mediocris fortunæ homo, poetices in ſua lingua peritiſſimus, ſi epitaphio condito, regis memoria ad poſteros tranſmitteretur, ſummi honoris argumentum fore teſtatus, edito carmine, cùm illud complacuiſſet, coronam regni obtinuit. Carmen
C illud Saxo Latinè reddidit:

Frontonem Dani, quam longum vivere vellent,
Per ſua defunctum rura tulere diù.
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus,
Æthere ſub liquido nuda recondit humus.

Sed tandem à Fridevo Frotonis F. ex Ruſſia reverſo oppreſſus eſt Hiarnus. *Crantzius lib. 1. Daniæ, cap. 33.*

CAUSIDICORUM.

M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis antè annis emerat. Hæ Sergio cuidam alii ſerviebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam M. Craſſus, Gratidianum defendebat M. Antonius. Jus Craſſus urgebat: quicquid fuiſſet incommodi, id ſi venditor ſciſſet, neque in mancipii lege declaraſſet, præſtare debere. Æquitatem Antonius, quando id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes, eidem anteà vendidiſſet, quo etiam tempore ſerviebant, nihil
D fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id quod emerat, quo jure eſſet, teneret. Quid Centumviri pronunciarint, non refertur à Cicerone. Sed ex jure noſtro certum eſt, cùm ædes non ita venierunt, uti optimæ maximæ, liberas tradi neceſſe non fuiſſe. *P. Ærodius lib. 1. Decret. ex Cic. lib. 3. Offic. & lib. 1. de Oratore.*

JUDICIUM RHETORICUM
DE ALIORUM eloquentia.
RECTUM.

Philippus Macedoniæ Rex illis, qui deferebant ad ipſum conciones Demoſthenis, dicebat, etiam ſeipſum, ſi dicentem audiſſet Demoſthenem, deſignaturum illum fuiſſe ad gerendum ſecum bellum. Comparabat hujus orationes propter pompoſos nervos militibus, Iſocratis athletis: oblectationem enim præbere has theatralem tantùm. *Plut. in Decem.*

Isocrates requirenti ex ipſo, Quid ars oratoria polleret? reſpondit: Parva magna, & magna reddere parva. *Plut. in vitis Decem.*

Theophrastus philoſophus interrogatus, quid ſibi videretur Demoſthenes orator, reſpondit, Dignus hac urbe, E
Qualis Demades? Supra urbem. Polyeuctus. Sphettius unus ex iis, qui per id tempus Rempublicam Athenis gerebat, dixit, Summum Demoſthenem oratorem eſſe, ſed acerrimum in dicendo Phocionem, Plurimum enim eum, pauciſſimis verbis ſententiæ complecti. Demoſthenem ajunt, quoties contra ſe dicturus pulpitum conſcenderet Phocion, ad familiares ſuos dicere ſolitum: Mearum ſecuris orationum exurgit. Incertum eſt autem, de oratione illius ſic ſentiret Demoſthenes, anne de vita & exiſtimatione: quod permultis, & prolixis circuitibus unum verbum, & nutum exiſtimaret probati viri, eſſe validiorem. *Plut. in Demoſthene.*

M. Cato Cenſorius cùm philoſophum Carneadem de juſtitia Academico more in utramque partem diſſerentem Romæ audiviſſet, patribus ſuaſit, hominem hunc citò dimittendum, ne ſua eloquentia animos civium corrumperet. *Quintilianus lib. 12. Inſtit. cap. 1.*

Aſinius Pollio, Trallianus Sophiſta, & philoſophus, Declamationes ſuas nunquam populo commiſit, vir alioqui naſutiore judicio. Carpebat in Livio Patavinitatem, in Cæſaris Commentariis infidelitatem, in Salluſtio verba obſoleta, in Cicerone ſtylum nimis exanguem. F

Phavorinus Philoſophus dicere ſolebat, ſi ex Platonis oratione verbum aliquod demas, muteſve, atque id commodiſſimè facias, de elegantia tantùm detraxeris: ſi ex Lyſiæ, de ſententia. *Gellius lib. 2. cap. 5.*

Cicero Rhodium profectus Apollonium orationem Molonis F. audivit. Hunc Apollonium fama eſt, quòd imperitus eſſet Romanæ linguæ, à Cicerone ut declamaret Græce, contendiſſe: Ciceronem ei morem geſſiſſe libenter, ita fore ratum, melius ut corrigeret ſe ille. Poſtquam declamavit, cæteris ſtupore defixis, & certatim collaudantibus eum Apollonium non hilarem fuiſſe, dum audiret dicentem: & cum peroraſſet diu ſediſſe cogitabundum: tandem ubi id momordit Ciceronem, dixiſſe: Te quidem laudo Cicero, & admiror, Græciæ verò miſeret me conditionis: cùm cernam, quæ reliqua nobis ſola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos tranſtuliſſe literas, & eloquentiam. *Plut. in Cicerone.*

M. Tul. Cicero oratores, qui magnos edebant clamores, irridens, ex impotentia dicebat in clamorem, ſicut claudos in equum inſilire. *Plut. in Cicerone.* G

Ejuſdem judicium de quinque nobiliſs. Græciæ ſcriptoribus tale: Quid ait aut Herodoto dulcius, aut Thucydide gravius, aut Philiſto brevius, aut Theopompo acrius, aut Theophraſto mitius inveniri poteſt? *Victorius lib. 10. Var. lect. cap. ex Cic. Hortenſio, apud Nonium.*

C. Licinius Calvus, Ciceronis æmulus, tanta vi Vatinium accuſaſſe dicitur, ut Vatinius exurgens exclamarit: Rogo vos judices, num, quia hic diſertus, ego condemnabor?

Meſſala exactiſſimi vir ingenii, & Latini ſermonis obſervantiſſimus, cùm audiſſet M. Portium Latronem declamantem, dixit, Sua lingua diſertus eſt. Sic ingenium concedens, ſermonem obiicere illi videbatur. *Cælius lib. 11. cap. 13. Antiq. Lect.*

Caligulæ Cæſari uſque adeò placebat vis, ac fervor in dicendo, ut Senecæ orationem, ſine calce arenam ſit ſolitus appellare, tanquam diſſolutam, ac nervis carentem, & ordine: quæ quodammodo compages eſt totius ſermonis; ſuo quiſque loco diſponens. Quanquam autem Caligula multa parum integræ mentis dedit argumenta, tamen in hoc judicio H
minimùm aberravit à ſcopo. Seneca fertur impetu quodam, minimè ſerviens ordini. Hoc inter egregias virtutes habet *Suetonius in Caligula.*

Romanis rogantibus Proæreſium ſophiſtam, uti proprium ſuum diſcipulum ad ſe mitteret, Athenienſes, Euſebium Alexandrinum eò miſit, qui cum urbis Romanæ moribus valdè congruere videbatur: quippe is ad aſſentationem eruditus, proceribus palpari norat, & Athenis ſeditioſus homo habebatur, alioſque præ ſe contemnere, ſeſe maximi facere conſueverat. Quapropter hominem urbanarum nequitiarum haud imperitum eò ſubmiſit. Nam quod ad oratoriam facultatem attinet, id dixiſſe ſatis ſit, quòd Ægyptius fuerit. *Eunapius.*

Jo. Picus Mirandula, Pauli epiſtolas oratorum omnium ſcriptionibus eloquẽtia præſtare dicebat, Tullii & Demoſthenis lucubrationes nominatim citans, non quòd eſſent, ut illæ, calamiſtris inuſtæ, & corraſis undique fucis, & cincinnis conſtipatæ, ſed quòd veram ſolidamque redolerent, & ſaperent eloquentiam, veris ſententiis, vera arte ſuffultam, eſſentque Ægyptio-

Ægyptiorum opibus non conſultò ſuffarcinatæ. Omnia
A porrò veteris legis eloquia conſummatiſſimæ ſcientiæ, & ſapientiæ plena prædicabat. *Joannes Franciſcus in ejus vita.*

INEPTUM.

Rhetoricam definit Chryſippus eſſe artem, quæ de ornatu, & pronunciandæ orationis eleganti digeſtione tractat. Præterea *lib.* 1. hæc ſcripſit: Non modò ingenui, & ſimplicis ornatus eſt in oratione habenda ratio, ſed & convenientis actionis in congruentibus modis vocis, & oris, manuumque conformationibus. At è diverſo eodem in libro cum de vocalium colliſione priùs egiſſet: Non ſolùm hæc, inquit, negligenda, incumbendumque potioribus: verùm etiam obſcuritates nonnullæ, defectiones, & verò ſolœciſmi, quorum cauſa alii non pauci erubeſcunt. *Plut. de Stoicorum pugnis.*

Lysias Cuipiam in judicium adducto conſcripſit orationem. Quam ubi accepit, & ſæpiùs perlegit, animo abjecto adiit Lyſiam, narrans, cùm eam primùm percurriſſet, mirè ſibi orationem placuiſſe: verùm iterùm, ac tertiùm repetenti, prorſus elumbem viſam eſſe, & languidam. Cui Lyſias arridens. Quid tum, inquit, nonne eam ſemel apud judices habe-
B bis? *Plut. de Garrulitate.*

Pytheas, Demoſthenis orationem lucernam dixit redolere, ſophiſticamque, & argutam ſedulitatem duris enthymematibus, & verborum ambitibus ad regulam, & circinum elaboratam. *Plut. in Præcept. Polit.*

Juvenalis Satyra 7. Romanos in dijudicandà oratorum eloquentia his verbis reprehendit:

—— Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos: niſi fulſerit annulus ingens.
Reſpicit hoc primùm, qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, poſt te aut ſit ſella, togati
Ante pedes, ideò conducta Paulus agebat
Sardoniche, atque ideò pluris quam Coſſus, agebat.
Quam Baſilus: rara in tenui facundia panno.

Adrianus Imper. amavit vetuſtum dicendi genus, ob eamque rem Catonem Ciceroni prætulit, Virgilio Ennium, Saluſtio Cæcilium. *Sabell. l. 4. En. 7.*

NEGLECTUS, CONTEMPTUS
ODIUM RHETORICES, ET eloquentiæ. Seu veræ, ſeu fucatæ: tum in
C
SEIPSIS.

Inter philoſophos Stoici in diſſerendo prudentiſſimi ſunt, in dicendo inopes, quandoquidem omnis illorum cura in dialecticis conſumitur: vagum illud orationis, & fuſum, & multiplex non adhibetur genus. *Cic. in Bruto.*

ALIIS.

Athenis in Areopago interdicebat præco dicturis in concione, ne vel præfatione, vel affectibus uterentur, rem modò exponerent, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, id eſt, Abſque procœmiis, & affectibus. Ut aliquot locis indicat *Lucianus.*

Diogenes Cynicus rhetores paſſim inſectabatur, quòd ſtuderent juſta dicere tantum, non autem facere. Idem docente Anaximene rhetore, pœnam prætendens, auditores in ſe convertit. Indignante illo: Diſputationem, inquit, Anaximenis oboli pretium diſſolvit. *Laertius l. 6.*

Lacones, ut omnes olim diſciplinas, ita quoque eloquentiam odio habuerint. Quidam ex plebe, cùm luſciniam comprehendiſſet, neque corpulentiam voci reſpondere vidiſſet, eam abiecit: Tu quoque nihil aliud quàm vox es, inquiens.
D *Plutarchus in Laconicis.* Neque id mirum, nam cùm bellica Reſpubl. eſſet, ea tantùm ſtudia, quæ ad bellum conducerent, laudabat.

Lacones Cephiſophontem ſophiſtam ejecerunt, qui ſe profitebatur de re quavis totum diem poſſe dicere, dicentes Boni oratoris eſſe, ſermonem habere rebus parem. *Plutarcus in Laconicis Apoph.*

Agesilaus rex Spartanus, cùm audiret rhetorem quendam laudari, quod mirificè res exiguas verbis amplificaſſet: Ego, inquit, ne ſutorem quidem arbitrer bonum, qui parvo pedi magnos inducat calceos. *Plut. in Apoph. Laconicis.*

Abderitarum legatus apud Agidem regem, Archidami filium, multa loquutus, cùm tandem dicendi finem feciſſet, rogaretque, quis civibus ſuis eſſet renunciaturus? Agis, Illud, inquit, renuncia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me ſilentem audiſſe. *Plut. in Apoph.*

Samii, Polycrate tyranno exacti, Spartam venerunt: & adeuntes principes, multa ſanè, more ſupplicum, commemorabant. Lacedæmoniis illis primo cœtu reſponderunt, eorum, E
quæ dixiſſent, priorum quidem oblitos eſſe ſe, poſteriora verò non intelligere. Secundò congreſſu Samii nihil aliud dixerunt, niſi allato panario, illud pane indigere. Lacedæmonii reſponderunt: Panario ſuperfuturum. Itaque opem ferendam eis cenſuerunt. *Herod. l. 3.*

Lacon oratorem, qui magnos verborum ambitus torquebat, audiens: Ne ille, inquit, homo ſtrenuus in argumento nihil benè voluit linguam. *Plut. in Laconicis.*

Glorianti cuidam ob artem rhetoricam: At herclè, inquit, Lacon, niſi tractet veritatem, ne ars non erit. *Plut. in Lacon.*

Laudationem Herculis inſtituente ſophiſta recitare: At quis inquit, Antalcidas, eum vituperat? *Plut. in Apoph.*

Antigonus audiens quendam oratorem, qui prædicaret, infeſtam nivibus tempeſtatem penuriam herbæ invexiſſe. Non deſines, inquit, me pro vulgò habere? *Plut. in Apoph.*

Romæ olim rhetores urbe ejecti fuerunt. C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Coſs. M. Pomponius prætor ſe natum conſuluit: Quòd verba facta ſunt de philoſophis, & rethoribus, S.C. de ea re ita cenſuerũt, ut M. Pomponius prętor animadverteret, curaretque (uti ei è Republ. fideque ſua videretur) uti Romæ ne eſſent. De iiſdem interjecto tempore Cn. Dominus
Ænobardus, L. Licinius Craſſus cenſores ita edixerunt: Renun- F
ciatum eſt nobis, eſſe homines, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos juventus in ludos conveniat, eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetoras: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Majores noſtri, qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt: Hæc nova, quæ præter conſuetudinem, ac mores majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eò venire conſueverunt, viſum eſt faciendum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam nobis non placere. *Suet. de Clar. orat. & Gellius l. 15. c. 11.*

Rhetores *Honorati*. ☞ *Vide in Tit. de Honore.*

Statuæ positæ, ☞ *Quære Locum de Statuis.*

☞ *Revocari ad hunc Locum poſſunt ex Loco Adulationis, Ambitionis, Avaritiæ, Diligentiæ, Inhumanitatis, Veritatis, exempla Rhetorum, in quibus præfati Tituli Locum habent.*

Riſus.

G

Definitio, et Etymologia.

Quæſtio de Riſu, quid Riſus ſit, non eſt ſanè ridicula, ſed quæ plures Philoſophos exerceat. De qua eſt illud *Ciceronis l. 2. de Oratore.*

Quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, ubi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repente erumpat, & eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet: viderit Democritus. Neque enim ad hunc ſermonem hoc pertinet, & ſi pertineret, neſcire me tamen id non puderet: quod ne ipſi quidem illi ſcirent, qui profitentur, Hæc ille.

Solet nihilominus ita riſus definiri: Eſt concitatior quidam animi ex re jucunda motus, ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis, & oris muſculi impetu quodam moventur.

Eſt riſus homini proprius, unde etiam homo ζῶον γελαστικόν id eſt, animal riſibile, ſeu ridendi facultate præditum, defi-
nitur. H

* Obiectum.

In primis quod ſpectat ad objectum riſus, ſive ad ea, quæ riſum movent, ſunt, ut explicat *Fracaſtorius in l. de ſympathia, c. 20.* res novæ, repentinæ, leves, ac ludicræ, habentes argutiam quandam, & concinnitatem ad aliud; quales habentur facetiæ, & quæ à mimis, ſeu perſonatis repræſentantur, & extranea quædam ſubito, ac concinno quodam caſu, ut ſi quis eleganti greſſu, & quaſi per numeros incidens in lutum cadat.

Sunt autem quidam ad riſum proclives, alii ſeveri. Nam cùm objectum riſus ſit res nova: ii, quibus quilibet novum videtur, ut pueri, & plebs, ex cauſa hac facilè rident; non ita ſenes, & philoſophi. Item quia objectum riſus eſt res jucunda, & læta, ducuntur aſſiduè in riſum ii, qui ſuoptè ingenio hilares ſunt, quales ferè eſſe ſolent, qui plurimum habent ſanguinem, & eum dulcem, non ciliosum, aut melancholicum.